



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XI. Aliæ quinque rationes pro distinctione virtuali intrinseca in rebus
creatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

poterit esse simul remissa per carentiam eorundem eorumve negationem. Hæc tamen euasio est, præcludi facilis. Etenim cognitio illa, quatenus est creaturæ, terminat vnionem cum nouis gradibus idem repræsentantibus obiectum: & quamuis gradus eiusmodi repræsentent etiam creatorem, cognitionem tamen remissam illius non intendunt, eo, quod hæc eos non terminet: distinctio namque virtualis illius cognitionis præstat, vt illa, quatenus est creaturæ, terminet vnionem cum gradibus denotio superuenientibus, quatenus vero est creatoris, eam non terminet vnionem. Hinc est, vt eorundem graduum detur simul existentia, & carentia, non quoad entitatem (hæc enim repugnat, vt recte supponit obiectio) sed quoad vnionem: eum in modum, quo candor existit in hoc pariete, & carentia illius in alio pariete non albo reperitur, carentia, inquam, illius quoad vnionem, eo nimirum, quod candor vni parieti, & non alteri vniatur, & in vno, non verò alio existat.

152 Dicitur tertio: fieri non posse, vt gradus v. g. quartus denuo superueniens, creaturamque, & creatorem ex æquo repræsentans, quatenus est creaturæ, huius cognitioni, & intellectui nostro vniatur, sicut ad eius intensiorem oportet; quatenus verò est creatoris huius cognitioni virtualiter tantum distinctæ à priori, aut etiam intellectui neutiquam vniatur, sicut ad eius formalitatis remissionem opus est. Nam si gradus ille, quatenus repræsentat creatorem, non denominat intellectum clarius cognoscentem illum, eiusque cognitionem intensiorem non efficit, eisque nullatenus vnitur, superflua videtur esse in eiusmodi gradu repræsentatio creatoris: natura autem à superfluo abhorret. Verum, tamen in hoc naturali rerum ordine, ac statu superfluum dari nequeat, eum tamen in alio præternaturali, nihil prohibet admitti: hoc ergo ex capite gradus superueniens vna sui formalitate Deum repræsentans, haud tamen efficiens, vt intellectus eum clarius, & intensius cognoscat, neutiquam reiiciendus est. Rursum eiusmodi gradum superfluere, haudquaquam sequitur: namque formalitas, qua Deum repræsentat, saltem deseruit, vt alia formalitas secum identificata existat, creatoramque clarius, & intensius cognosci faciat. Præterea etiam ex natura illius formalitatis Deum repræsentantis non oritur, quod illa intellectum non afficiat, ad Deumque clarius cognoscendum non euehat, sed per accidens ex natura specierum impressarum, quæ, si alia essent, haud dubie prior cognitio, & intellectus vtramque formalitatem superuenientis gradus terminarent. Quod autem per accidens tantum impeditur à suo munere, in rebus superfluum non est.

CAPVT XI.

Aliæ quinque rationes pro distinctione virtuali intrinseca in rebus creatis.

153 Inter ens reale, & rationis ens strictè sumptum reperitur ens quoddam medium ab utroque distinctum, nimirum ens negatiuum, siue carentia, vt interim omittam eiusmodi ens medium, quod in processu dialecticæ tract. 1. cap. 9. & 10. explicatum, & probatum manet: similiter ergo inter distinctionem realem, & distinctionem rationis, seu considerationis distinctio quædam media admittenda est, videlicet distinctio virtualis intrinseca, quæ quidem, nec realis est, vt constat, nec etiam rationis propriè loquendo; quippe quæ rationis opus omne antecurrit.

Item non magis requiritur distinctio realis ad hoc, vt aliquid suscipiat prædicata contradictoria, quàm veritas ad hoc, vt aliquid realiter, ac verè cognoscatur. Hoc adeo manifestum est, vt neminem arbitretur fore, à quo deposito partium studio negetur: Sicut enim munus distinctionis est facere, vt extrema distincta suscipiant prædicata opposita, ita etiam officium veritatis est præstare, vt res vera realiter, ac verè cognoscatur: sed aliquid verè, & realiter cognosci potest, quin veritate propriè, ac simpliciter sumpta prædicitur sit: similiter ergo aliquid subesse potest prædicatis oppositis, & contradictoriis, quin distinctione propria, ac reali gaudeat, eiusmodi autem res nequit non virtualiter distingui; & in semetipsa diuidi, vt cerro certius. Assumptio argumenti, quæ solum eger probatione, hunc in modum probatur. Carentia Antichristi v. g. verè, & realiter cognoscitur, cum à Deo, tum etiam à nobis: ea autem veritatis propriè, ac simpliciter sumpta expers est: cum enim non propriè, ac simpliciter ens, veritas autem ens sequatur sit pro velut eius proprietas, ea veritatis citra dubium erit exors; vt etiam aduersarij in confesso habent.

Insuper haud magis necessaria est distinctio realis ad prædicata contradictoria, quàm bonitas, vt res ametur: Quis hoc neget, si absque contentione studio rem inspiciat? Atqui carentia pœnarum inferni v. g. propriè, ac realiter amatur, quin tamen bonitatem simpliciter ac propriè sumptam habeat: quod enim de veritate iam iam diximus, id ipsum de bonitate pari iure dicendum est; cumque bonitas sit passio entis, quod propriè non fuerit ens, bonum propriè esse nequit, adeoque carentia, vt entitate omni, sic etiam bonitate omni immunis erit: at amatur tamen: Quidni ergo sine distinctione reali, ac propria aliquid prædicata contradictoria suscipiat.

Ad hæc: quemadmodum prima facie apparet, sine distinctione reali nulli rei prædicata opposita conuenire, ita videtur prima specie à pariete v. g. candorem expelli non posse sine introductione formæ realis, & positivæ, quæ quidem ei sit opposita: namque si nihil reale, & positium denuo produciatur in pariete, cur, tam ille, quàm candor eodem modo non se habeant sicuti antea? aut quo pacto per omnino nihil immutari verè queant? At hoc non obstante per solam carentiam candoris seorsim ab introductione vllius formæ realis contrariæ destrui potest, atque à subiecto expelli candor: similiter ergo prædicata contradictoria rem afficere poterunt sine distinctione reali. Declaratur: non magis requiri videtur distingui realiter duas res, vt prædicata contradictoria subeant, quàm aliquid esse positium, vt gerat oppositionem cum alio: quod enim propriè non ponitur, siue esse positium non habet, quomodo alteri opponi potest, cum poni in hoc, quod est apponi, includi videatur. Atqui carentia, cum non sit aliquid positium, sed merè nihil, propriè tamen, ac verè opponitur formæ contrariæ, eamque euertit, ac demolitur: distinctio ergo virtualis, tamen realis, ac propria distinctio non sit: sed potius identitas, inferre poterit prædicata contradictoria.

Tandem: species impressa, sicuti communiter admitti, & explicari consuevit, quin sit obiectum cognitum, facit tamen, quod efficeret obiectum, si esset præsens potentia, & cum ea proportionem haberet; potentia enim indifferentiam determinat, & simul cum illa ad cognitionem concurrat. Calor etiam, cum non sit lux, eius tamen vicem gerit, & sicut illa calefacit: infinitus sim si alia id genus exempla

pla in medium proferam. Distinctio ergo virtualis, id est virtus, & vicaria distinctionis realis, quin distinctio realis sit, eius tamen officium aliquod gerere poterit, & non minus, quam illa esse radix, & fundamentum contradictionis prædicatorum eidem rei conuenientium.

158 Opponunt tamen primò recentiores; perperam à nobis supponi in huius discursu capitis, carentiam esse medium quoddam inter ens reale, & rationis, interque verum, bonum realiter, ac tantum ratione nostra quin potius esse complexionem quandam plurium entium realium, ac bonitatem, & veritatem prædicatorum, videlicet entitatis eius, cuius est carentia, & diuinæ volitionis eam efficaciter respuentis, aut certè propositionis inficalis, qua talis entitas negatur existere in rebus; vel certè alterius cuiusdam contrarij positiui, & realis.

159 Caterùm ad vim nostrarum rationum nihil interest, an carentia sit adæquate distincta ab omni complexione realium entium, qualiter eam distinctam P. Suarez disp. postrema metaphysicæ, & plerique authores nostri admittunt, an potius sit complexio per accidens resultans ex essentia rei non existentis, & eius nolitione efficaci, aut scientia eam negante. Qualis enim illa cunque sit, & siue priori, siue posteriori modo constituitur, & explicetur: argumenta nostra totis nervis contendere possunt. Namque, si non sit complexio plurium entium, nullamque entitatem, bonitatem, aut veritatem includat, cuius perspicuum erit, superiores rationes validas esse, nec vlla posse exceptione repelli. Quod si non sit ea complexio, haud sunt propterea minus efficaces: Etenim licet quævis pars eius complexi, in quo tenebra v. g. consistunt, sit ens, verum, & bonum simpliciter; caterùm complexum ipsum non est ens reale, nec bonum, aut verum simpliciter: Et tamen simpliciter amatur, cognoscitur, & est medium quoddam inter ens reale, & rationis, hoc maius, & illo minus: ergo similiter, &c.

160 Nec valet, si quis respondeat, carentiam habere bonitatem apparentem: nec sine illa amari. Namque tum aliquid habet bonitatem apparentem, quando intellectus putat, id esse bonum reale, & possibile, ac veluti tale id proponit voluntati, etiamsi re ipsa sit bonum duntaxat impossibile, & imaginarium; quo pacto deceptus est specie, & imagine bonitatis apparentis Angelus malus, quando diuinitatem ambiuit. At quis amat carentiam pœnarum inferni, v. g. sciens illam esse non ens, adeoque non verè bonum: ergo non amat in illa bonitatem aliquam apparentem, sed potius bonitatem, quæ, nec est simpliciter bonitas, nec talis apparet. Simili ferè modo confutari potest, qui nostris respondeat argumentis, propterea cognosci carentiam, quia habet veritatem apparentem, eamque haud esse omnino mediam inter ens reale, & rationis, cum entitatem sortiatur saltem apparentem.

161 Obiiciunt secundò neoterici: seorsim à distinctione virtuali intrinseca prædicatæ contradictoria inferente dari distinctionem mediam inter realem, & rationis, nempe distinctionem Petri v. g. à sua carentia, quæ nec rationis est, eo, quod eius operationem omnem antecedit, nec etiam realis, eo quod alterum eius extremum realitatis expers sit. Caterùm hæc solutio paruo momento destitui potest: namque sicut cognitio realis, & amor realis ad carentiam realitatis expertem terminatur, eamque realiter cognitam, & amatam denominat, cur etiam distinctio realis ad carentiam non terminetur, eamque, & existentiam oppositam realiter distinctas non denominet.

Sed de nomine non laboro, & an ea distinctio ab aduersariis adducta realis, vel media appelletur, anxius non sum. Illud contendo, distinctionem illam non esse minorem distinctione reali inter rem, & rem. Haud enim minus distinguitur res à carentia sui, quam res ab alia re itidem positiua: quod enim minus perfectionis sit in re & carentia sui, quàm in duabus rebus, haud quaquam arguit, illarum, quàm harum distinctionem esse minorem: vt enim sapienter ait P. Vasquez tom. 2. in prima parte quæstione 28. art. 2. disput. 119. cap. 5. num. 19. cum loquimur de distinctione, vt dicatur maior, aut minor, non ad perfectionem eorum, quæ distinguuntur, sed ad modum distinctionis attendendum est. At quemadmodum inter ens reale, & ens rationis datur ens medium, negatiuum scilicet, quod ente rationis maius quodammodo sit, quia fictionem omnem intellectus prægreditur, & minus ente reali, quia non perinde, ac hoc rationem veri, & proprij entis sortitur; ita similiter inter distinctionem realem, ac summam, & distinctionem solius rationis debet dari distinctio aliqua media, quæ maior sit distinctione rationis, & minor distinctione reali duas res positiuas secernente. Hæc autem distinctio media, cum nequeat esse ea, quæ inter rem, & eius carentiam interuenit, reliquum est, vt sit distinctio virtualis: isthæc ergo admittenda.

Tertiò etiam opponunt Recentiores, distinctionem virtualem perperam à nobis vocari mediam. Medium enim æqualiter distare debet ab extremis teste Aristotele 2. Ethicorum cap. 6. sed distinctio virtualis distat infinitè à distinctione reali, cum sit identitas realis, & non distat infinitè à distinctione rationis, cum, sicut illa, sit identitas, & impropriè tantum distinctio: ergo &c.

Respondeo, medium imprimis ita sumi posse, vt æqualiter distet ab extremis: quo pacto tellus dicitur sita esse in mundi medio, quoniam ab eius extremitatibus quibus infinita propemodum ambitione cingitur, ex æquo distat: & qua ratione punctum medium, siue centrum cuiusuis, circuli etiam minoris ab Euclide lib. 1. elementorum definit. 16. & cæteris Mathematicis dicitur esse, à quo puncta omnia extremæ circumferentiæ æqualiter distant, sic, vt lineæ omnes ab eis ad centrum euntes, redeuntesque, sint æquales. Secundò vsurpari consuevit medium, ita, vt perinde sit, atque, quod interiacer inter extrema, siue ab eis æquè distet, siue vni; quàm alteri magis ex vicino accedat. Namque si, quod plerique putant, auaritia est maius peccatum, quàm prodigalitas, certè virtus liberalitatis inter vtramque media non æquè distat ab vtraque, sed multò magis ab auaritiâ, quippe quæ est extremum magis vitiosum: vniuersum autem constat, vitium, quò maius est, eò magis ab illo distare virtutem oppositam. Sic Aneas, cum propior esset Africæ, quàm Italiæ, atque in illius adhuc conspectu, quin tamen hanc, nisi multò post conspiceret, medium tamen vtrinque iter tenuisse dictus est à Vigilio 5. Aeneid.

*Interea medium Aeneas iam classe tenebat
Certa iter, fluctusque atros Aquilone secabat,
Mœnia respiciens, quæ iam infelicis Elisa,
Collucent flammis, quæ tantum accenderit ignem
Causa latet:*

Quibus constitutis, distinctio virtualis, tamen non priori modo, ac certè posteriori potest dici media inter realem, & rationis, etsi magis ab hac distet, quàm ab illa.

Præterea hæc instantia de sola voce litem nobis mouet. At ego de nomine distinctionis virtualis sollicitus

162

163

164

165

sollicitus non sum. Quo enim cumque modo vocetur, eam dari probat, quantum sentio, quod superius adductum est de carentia, nam præter ens reale, & ens rationis admitti debet carentia, quæ neutrum eorum sit, siue ea sit media inter vtrumque, & ente reali minor, & rationis, siue fictio maior, propterea, quod, nec verè existat, sicut ens reale, nec solum dependenter ab intellectu fictione. sicut ens rationis; siue contra, quod alij quidam malunt, minor sit, non solum ente reali, verum etiam ente rationis, ac fictio, quæ videlicet est huius ex entibus veris, non verè, sed falsò combinatis inuicem constitutio. Vt enim cumque modo se habeat, ea nec est ens reale, nec ens rationis fictitium. Pari ergo ratione concedenda est distinctio aliqua, quæ nec sit distinctio realis, nec distinctio solius rationis, siue considerationis, quidquid sit, an sit inter vtramque media, vel secus. Hac autem quænam esse potest, nisi virtualis?

CAPVT XII.

Decima, ac postrema ratio pro distinctione virtuali intrinseca in rebus creatis.

166 **D**atur aliqua distinctio rationis: at hæc sibi sistere nequit absque distinctione virtuali cum prædicatorum contradictione coniuncta: ergo, &c. Maior est perspicua. Minor suadetur: animal, verbi gratia, distinguitur ratione nostra à rationali, & rationale non distinguitur ratione à rationali, siue à seipso, hoc ipso, quod ratione distinguantur ambo: subsistere igitur nequit distinctio rationis sine distinctione virtuali, & contradictione prædicatorum eidem rei conuenientium. Confirmatur, & declaratur: cum eminus video hominem, eumque à bellua non discrimino, animal à rationali præscindo, sin minus ex parte obiecti, at saltem ex parte modi, vt vel aduersariis est in confesso: at non præscindo, nec possum rationale vllatenus à seipso: admissa igitur præcisione aliqua, & distinctione rationis, animali, & rationali conueniunt prædicata contradictoria, nimirum præscindi quodammodo à rationali, & non præscindi à rationali.

167 Huic argumento nostro respondent aliqui, animal distingui quidem ratione, & præscindi formaliter, siue ex parte modi, vt aiunt, à rationali, si animal, & rationale secundò intentionaliter sumantur; & alterum pro complexo sui, & cognitionis confusæ huic voci, *animal*, respondentis, alterum verò pro complexo sui, & cognitionis claræ huic voci rationale subiectæ supponant: quare animal, & rationale hoc modo, quo prædicata contradictoria suscipiunt, non virtualiter, sed realiter inadæquatè distingui. Quod si ambo primò intentionaliter accipiantur, & pro nulla cognitione supponant, hoc pacto ea neutiquam posse præscindi, aut ratione nostra distingui inuicem. Hæc tamen solutio distinctionem rationis, quam tueri nititur, de medio penitus tollit. Etenim solum recipit distinctionem rationis inter complexum cognitionis, & obiecti, quæ subsunt huic voci, *animal*, & complexum cognitionis, & obiecti, quæ huic voci, *rationale*, subiiciuntur. Atqui vtrumque complexum, non ratione, sed realiter inadæquatè distinguuntur. Hæc ergo solutio omnem distinctionem rationis abolet.

168 Alij secundò oneri succumbunt, ac respondent, animal non distingui ratione à rationali, ab eoque non præscindi, & in vniuersum loquendo, nihil distingui, aut præscindi posse à seipso; solumque

duo complexa proximè memorata dici posse distincta, ac præcisa inuicem. Hæc solutio parum à superiori differt: quoad autem secundam eius partem iam iam impugnata manet: quoad verò priorem illius partem haud operosius, difficiliorve refelli potest: etenim distinctionem, ac præcisionem formalem, siue rationis vnius rei à seipsa admittunt Thomistæ omnes cum B. Thema, Scotistæ omnes cum Scoto, & extra vtramque scholam grauiores quique auctores: quin etiam P. Hurtado disp. 6. metaphys. sect. 4. subsect. 1. putat, Ochamum, Gabrielem, Gregorium, ac ceteros Nominales in eadem esse sententia, de quibus tamen solis dubitari posset, an sint ab ea alieni. In Dial. et. autem, cum sermo nobis fuit de præcisionibus obiectiuis, illam ratione probauimus ex professo.

169 Tertio alij respondent sermè eodem modo, & docent, animal distingui ratione à rationali per denominationem extrinsecam à distinctione vera, & reali inter vtriusque cognitionem: sicut album dicitur distinctum à dulci per denominationem à distinctione inter vtriusque formam, quamuis vtrumque absolute sit idem: quo in sensu dixit Aristoteles, *Soritem diuersari, cum fuerit in domo, & cum fuerit in foro*. Caeterum hæc solutio recurrit cum prima, & secunda: haud enim aliud est animal distingui à rationali per denominationem extrinsecam ab vtriusque cognitione inuicem realiter distinctis, quam complexum ex animali, & sua cognitione distingui realiter à complexo rationalis, & cui obicitur, cognitionis, non secus, ac distingui album à dulci per denominationem à distinctione reali inter vtriusque formam, perinde est, atque complexum ex subiecto, & dulcedine distinctum esse à complexo subiecti, & canderis, tametsi subiectum vtriusque secundum se sumptum sit prorsus vnum, & idem. Quamobrem hæc solutio eodem modo impugnari potest, ac debet, quo præcedentes. Omnium autem impugnatio confirmatur: sicut aliqua datur distinctio realis, quæ non sit rationis, ita similiter admitti debet aliqua distinctio rationis, quæ nullo modo sit realis: huiusmodi autem non est alia, nisi distinctio virtualis, siue rationis ratiocinata: nam distinctio rationis ratiocinantis, quæ iuxta aduersarios fit per diuersas cognitiones ad idem obiectum terminatas, quæve interuenit inter obiectum, prout vno modo cognitum, & idem non eodem, sed alio modo cognitum, est distinctio realis inadæquata, & non solius rationis, vt hucusque demonstratum.

170 Obiicies primò; circumscripta distinctione virtuali, siue rationis ratiocinata dari distinctionem aliquam rationis, quæ non sit realis vllatenus. Cum enim distinguitur ratio ratiocinante vnum ab alio, animal rationale, v.g. ab homine, fingit multoties intellectus noster hanc distinctionem, quæ realis inadæquata est, atque inter cognitiones ipsas, vel certè obiecta, prout ei subsunt, se habere ex parte rerum ipsarum secundum se sumptarum: istiusmodi autem distinctio rationis fictitia inter animal rationale, & hominem prout secundum se, & seorsim à quauis cognitione sumuntur, non est realis, nec vera distinctio: nulla igitur necessitas, nulla utilitas distinctionis virtualis ad hoc, vt defendi possit distinctio rationis pura.

171 Contra tamen sic argumenter: quoniam fingitur animal rationale secundum se sumptum distingui ratione ratiocinante ab homine: & tamen non fingitur animal rationale distingui ita à seipso: & quamuis in eo priori, non tamen in hoc posteriori patitur intellectus se deludi: iam ergo homini, & animali rationali